RESPONSIO
brevis
ad præcipuas quaſdam
CALVMNIAS
quas
APOSTATÆ ET SECTARII
evomere ſolent,
Contra
VNAM, SANCTAM, CATHOLICAM, & APOSTOLICAM
ECCLESIAM
(*Symb: Nycæn.*)

Per
IOANNEM à S. PAVLO
Sacerdotem
Vnius, S. Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ
Ad alium Sacerdotem.

Iungat Epiſtola, quos iungit SACERDOTIVM. *Hieron: in lib: Salomon:*

Cum approbatione Ordinariorum
Typis COLONIENSIBVS, ANNO M. DCXCIII.

Initium ſuperbiæ hominis Apoſtatare à DEO.
Eccleſiaſtici 10. *v.* 14.

Quoniam ab eo, qui fecit illum, receſſit cor ejus, &c. *Ibid; v.* 15.

Vinum & mulieres Apoſtatare faciunt. Eccli: 19.

Homo Apoſtata, vir inutilis, graditur ore perverſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, & omni tempore iurgia ſeminat, huic extemplo veniet perditio ſua, nec habebit ultrà medicinam. *Proverb:* 6.

RESPONSIO Ad Calumnias.

PRÆFATIVNCVLA.

Apostata quidam ad hanc brevem responsionem me permovit, cuius quamvis detester Apostasiam, hominem tamen amare non cesso, eiq; meliorem sortem, & æternam salutem exopto. Calumnias ab eo sparsas, neq; omnes, neq; eodem ordine, aut iisdem verbis profero; sed præcipuas selegi, quæ ut intelligantur, multis verbis opus non est: & quamvis ipsemet nomen suum non reticuerit, illud tamen hic non expressi; duas potissimum ob causas. Prima est, quia cum Apostata uno rem habere, de calumniis præsertim, & mendaciis, neq; utile, neq; satis decens videbatur. Altera est, quia hæ calumniæ omnibus ferè Apostatis, & Sectariis communes sunt. Placuit itaq; ad omnes responsionem dirigere. Quapropter

non omnia, quæ de Apostatis dicturus sum, conveniunt illi, qui scriptioni huic occasionem dedit. Quæ conveniant, ipse conscientia teste, satis perspiciet. Præterea *moneo, me hic disputare nolle de capitibus fidei. Satis superq; disputatum fuit contra Sectarios tot annis, tot voluminibus. Quis est Arianus, quis* Nestorianus *(cum hos nomino, omnes intelligi volo Hæreticos, qui fuerunt, aut sunt) quis, inquam, est, qui in hodiernum usq; diem, contra veritatem non luctatur? &, ut Augustinus alicubi notat, scripturâ sacrâ errores suos non tuetur? Arenam itaq; disputationis non ingredior: calumnias tantummodo refuto, idq; brevissimè, quasi ad hominem,(ut vocant)aliquid reponendo. Et mihi quidem semper visum fuit inutile, disputare cum Apostatis.* Non *enim illi ignorantiâ, sed mala voluntate laborant. Edant libros de rebus fidei, quo tempore sunt apud Sectarios, conciones habeant; in illis millies conscientiam suam appellent; cœlum invocent; per Deum iurent; locos ex sacris literis accumulent; iterum dico, mala voluntate agunt;*

nec

nec illis credendum, aut fidendum. Neq; *id temere dico: nam mentiri, decipere, frangere fidem Deo datam sæpissime, etiam cùm publica solemnitate, in qua homines circumfusos, Deum, & cœlites omnes identidem testes invocârant; deniq; in Sacrosanctis Religionis negotiis fingere, ipsis familiare, & ferè quotidianum fuit, antequàm inter Sectarios versarentur: per hæc enim, aliaq; quæ comitari solent, crimina; veluti iniustitiæ, ebrietatis, impudicitiæ, &c. præparati sunt, & apti redditi, qui ad Sectarios transirent. Frustra proinde disputando vellemus intellectui mederi, quando voluntas tot vitiis infecta & corrupta est.*

Voluntati autem sic corruptæ, remedium invenire, quo curetur, quàm difficile sit, possumus discere ex primo Apostata Iuda Iscariote. *Audiverat ille tot Divinas Christi, de virtute, de iudicio extremo, de suppliciis sempiternis peccatorum exhortationes; viderat tot miracula; signa charitatis incredibilia erga se senserat in ultima cæna; exceperat in horto illam amoris pariter, & commi-*

seratio-

ſerationis pleniſſimam Chriſti vocem: Amice ad quid veniſti? *& tamen hæc omnia ipſius voluntatem non potuerunt flectere; ſic remedia Apoſtatis, tum ante, tum poſt fugam adhibita, quantumvis multa, quantumvis ſuavia, quantumvis fortia, ferè ſolent ad nihilum recidere; ad omnia obdureſcit tam depravata voluntas. Nonnullos, tamen excipio, qui ſingulari quodam Dei favore, cum ingenti ſuo ſolatio & fructu, revertuntur à Babylone illa, & multitudine tot errorum, ad unam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam.*

Dum Iudæ Iſcariotis *mentionem feci, & ſubinde faciam, ne cogitent Apoſtatæ, id fieri animo conviciandi; ſed ut res ipſa clariùs ob oculos ponatur. Si contenderint, in aliquo ſe eſſe diſſimiles, non repugnabo: quin imò Deum precor ex animo, ut omnes Apoſtatæ, primo illi Apoſtatæ fiant omnino diſſimiles per veram pænitentiam, & converſionem, ad* unam, Sanctam, Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam.

Nunc ad calumnias non nihil reponamus.

Prima

Prima Calumnia, IDOLOLATRIA.

NVllus Apostata inter Sectarios pedem fixerit, præsertim inter Calvinistas, qui non illico Catholicam Ecclesiam Idololatriæ accuset, quia scilicet Catholici credunt & adorant Christum, in Sacramento Altaris verè præsentem. Calvinista enim præcipuè in hac Calumnia se firmat, tanquam sectæ suæ propugnaculo.

Quæ tamen, est illa accusatio? quàm levis & frivola? quàm nihili æstimanda? nisi forte æstimanda sit vox illa Caiphæ de Christo? *Blasphemavit. Quid adhuc egemus testibus?* Matth. 26. v. 65. Aut Iudæorum clamores auscultandi? qui vociferantur Christum non esse DEVM: aut curanda erit doctrina Nestorij? qui voluit Christum passum, & mortuum non esse verè Deum. Ex horum enim omnium sententia, idololatras esse necesse est, quicumq; Christum adorant passum, crucifixum, & mortuum, tanquàm verum Deum.

Quis autem prudens ejusmodi Caiphæ, Iudæorum, & Nestorij accusatione moveatur? quis illam non contemnat? quis etiam non videt Calvinistarum accusationem, quâ Catholicos, ut Idololatras, traducunt, eodem jure esse vilipendendam? Quamobrem enim Iudæi & Nestoriani tanquam Impostores rejiciendi sunt, quando illi Christum blasphemum, & utriq; Catholicum Idololatram vocarent; nisi quia utriq; per insignem pertinaciam, credere nolunt Christo, dicenti, se esse filium Dei? an non similis est omnino causa Calvinistica? Calvinistæ enim, pari pertinaciâ, Christo etiam fidem negant dicenti: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*: 1. Cor: 11. v. 24. & *Hic est calix novum Testamentum, in sanguine meo, qui pro vobis fundetur*. Luc: 22. v. 20. Græcè ἐκχυνόμενον. *Effundendus*; quod clarè ad calicem, hoc est, ad liquorem in eo contentum, refertur. Disputant Iudæi, & Nestoriani, æquè atq; Calvinistæ in hodiernum usq; diem, contra clara Christi, & scripturæ testimonia, &

per

per fas & nefas ex impio dogmate volunt concludere, veros fideles, qui Christo loquenti credunt, esse blasphemos, Idololatras &c. Apagè cum ejusmodi calumnia, quæ protrudi non potest, nisi ex Iudaico *vel* hæretico errore.

At quinam, quæso, Idololatriæ accusantur? illi videlicet, qui omnibus retrò sæculis, iuxta consilia Evangelica, relictis omnibus, per universum orbem idololatriam persecuti sunt, & etiamnum persequuntur, & eliminant, destructis innumeris Idolorum fanis. Scrutentur Sectarij Annales, quærant quinam ab idololatriâ illorum majores abduxerint ad Christianam Religionem: invenient fuisse Catholicos, & plerosq; Sacerdotes *unius, Sanctæ, Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ*; ab Apostolicâ Sede, à Vicario Christi missos. Non fuerunt Ariani, non Pelagiani, non Nestoriani, non Albigenses, non alij ejusdem furfuris; multò minus fuerunt Lutherani, aut Calvinistæ, aut Mennonistæ &c. quorum nomen & Religio, antè natum Lutherum, Calvinum,

Mennonem, non magis reperiebatur in orbe terrarum, quàm nomen aut Religio Arianorum, aut Nestorianorum ante natum Arium, aut Nestorium. Quinam verò accusant Catholicos? Accusatores sunt Calvinistæ, quos adeo non tangit honor Dei, qui violatur per veros Idololatras, ut procul, rejectis Evangelicis cogitationibus & consilijs (in quo præcipuè consistit eorum reformatio) cum suis conjugibus malint domi commodè conquiescere, & svaviter frui bonis Ecclesiasticis, quæ diripuerunt. O! Reformatores!

Non est tamen illa Idololatria, ut impiè & falsò vocant, & iactant, ob quam Apostatæ tam turpiter fugiunt. Religio parum eis cordi est. Interea serviunt Idolis eiusmodi, quæ à veri Dei cultu mentem abstrahunt. Nam alios invenias Idololatriæ addictos illorum, quorum *Deus venter est*, ad Philip. 3. v. 19. Alios, ut *Iudam primum Apostatam*, avaritia stimulat, quæ est *Idolorum servitus*, Ephesi 5. Hæc sunt quæ illos præcipitant in Apostasiam.

Secun-

Secunda Calumnia,
VENDITIO INDVLGENTIARVM.

FAbula: Sic res habet. Christus Matth: 16. v. 19. dixit Petro, & ejus Successoribus, Vicarijs suis, hæc verba, *Et tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcunq; ligaveris &c. & quodcunq; solveris &c.* Hanc potestatem dum Episcopus Romanus, Successor Petri, exercet, vocatur hoc exercitium potestatis, Solvendi, ***Indulgentia.*** Solet autem omnes fideles hortari ad hanc indulgentiam: hortari, inquam, non cogere. Ad majorem autem animarum fructum, sic indulgentia ista offertur, si præstiterint opera, quæ in scripturis maximè commendantur, quæ sunt, præter Sacramentorum usum, *oratio, cum ieiunio, & eleemosyna* Tob: 12. v. 8. Hæc tamen duo ultima rariùs requiruntur: atq; hoc est quod Sectarij vocant vendere indulgentias, & remissionem peccatorum: sic populo imponunt. Eant, & eodem jure, vel potius eadem fraude populo persuadeant, Danielem Na-

bucho-

buchodonozori Regi dedisse consilium, ut emeret remissionem peccatorum; quando Dan: 4. v. 24. dixit: *peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum*: hic enim emptionis clara est mentio. Accusent Ioannem Baptistam, qui cum Luc: 3. v. 9. dixisset turbis: *omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur*: cum interrogassent eum turbæ; v. 10. quid ergo faciemus? v. 11. *respondens autem dicebat, illis: qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas similiter faciat*. Accusent, inquam eum, quod excisionem, & ignem peccatis imminentem docuerit dono tunicæ, & escæ posse redimi. Si enim Ioannes simul prædicaverit pænitentiam etiam hanc simul prædicant Pontifices Christi Vicarij, insuper & orationem & jejunium, & alia opera. Accusent Apostolum Paulum, qui collectas ordinavit Rom: 15. v. 26. de quibus v. 27. sic loquitur, *debitores sunt eorum, nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles; debent in carnalibus ministrare illis.*

Dicant

Dicant populo mentientes: Paulum docuisse, spiritualia pecunijs posse emi. Plura de his possent dici ex 1. Cor: 16. v. 1. & 2. & 2. Cor: 9. tantummodo per transennam annoto, quod ultimo loco v. 5. velit collectam *paratam esse, sic quasi benedictionem, non tanquam avaritiam.* Ex quo intelligitur, id temporis homines fuisse Sectarijs similes nostris, qui eleemosynam & benedictionem, quæ suadebatur, per calumniam accusabant, tanquam avaritiam. Accusent deniq; ipsum Christum, quod docuerit munditiem â peccatis, & bona cœlestia pecunijs posse emi: quando dixit Matth 19. v. 21. Adolescenti, *da pauperibus, & habebis in cœlo thesaurum*: & Luc: 11. v. 41. quando dixit Pharisæo, *date eleemosynam, & eccee omnia munda sunt vobis.* Non opus est plura afferre, quæ possent cavillis, & sophismatis in pessimam partem detorqueri ab ijs, qui pari malevolentia, & odio abrepti essent, sicut Sectarij abripiuntur, *in unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.*

Accu-

Accuſent potius Sectarij ſe ipſos. Triſtem gemitum aliquando audivimus conquerentium ſe cogi ad ſolvendam mulctam pecuniæ, quando à cœna ſectariorum abfuerant. Quæro autem, quamobrem illi Sectarij mulctas ejuſmodi exigant tam violenter? an deterrendi, aut puniendi cauſâ? profectò ipſi Tyranidem eſſe clamarent, ſi id fieret in Catholica Eccleſia. An lucri ſui cauſâ? at id avaritiæ eſt; an, ut, qui peccâſſe cenſentur, delicti ſui veniam ſic obtineant? at id eſt vendere remiſſionem peccatorum, de quo Catholicam Eccleſiam malevolè accuſant.

Remiſſionem peccatorum vendere graviſſimum Simoniæ peccatum eſt; ubi autem Simonia ſeveriùs plectitur? quàm in Catholica Eccleſia; in qua contra illud execrandum vitium canones ſunt conſtituti rigidiſſimi. At Sectarij, qui omnem peccandi licentiam ſibi ſumpſerunt, canones illos procul à ſe rejecerunt, ut libera ſit illis rerum ſacrarum nundinatio; ſi tamen aliquid ſacrum apud illos reperitur, quod vendi poſſit

ſit. Quidquid enim Sanctum fuit, aut profanârunt, aut penitus abiecerunt. Solus ferè baptiſmus manet ſuper, quando illum ritè adminiſtrant. O! Reformatores! Nequè hæc ignorant Apoſtatæ. Sciunt, ſciunt, inquam, non vendi in Eccleſiâ Catholicâ, quod ſacrum & ſpirituale eſt; Proferant enim, ſi poſſint, tabulam ullam emptionis vel venditionis ejuſmodi. Oſtendant quot nummos, quo tẽpore, vbi, cui, quo jubente, dederint ipſi, aut alij ad emendam indulgentiam, & remiſſionem peccatorum. Nominent unum, qui vendiderit, unum, qui juſſerit; illi, quos nominaverint, mox ipſos mendacij coarguent. Sed Apoſtata, qui Deo ſuo toties juratam fidem fregit, facilè plauſtrum mille mendaciorum effundet, ut placeat illis, ad quos transfugit: apud quos ſuam quoq; Religionem venalem habet. Cur enim ex Sectis innumeris, hanc potiùs eligit, quam illam? ideo profectò, quia id loci, & temporis, ſic magis placebit ijs, à quibus pecunias, & commoditates ſuas expectat. Atq; in hoc quoq; Apoſtatæ poſteriores

riores imitantur primum Apostatam, qui dicebat, *quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam.* Matth: 26. v. 15. Sic illi, quid vultis mihi dare, & ego vobis meam Religionem tradam. En qui audent falsò accusare. *Vnam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.*

Tertia Calumnia
SVPERSTITIONES.

Amplum hic sibi aperiunt Sectarij campum, decipiendi populum, mendacia & jocos disseminandi. Sed ut res ipsa meliùs intelligatur, juverit breviter describere ingenium & indolem Hæreticorum, hujus præsertim temporis.

Noverant illi Divinæ providentiæ ordinem, quæ dum nova mysteria, per Apostolicos viros humano generi, nationibusvè quibusdam proponit credenda, solet illa prodigijs & miraculis patefacere, & confirmare sequentibus signis. Noverant etiam ex Historijs Ecclesiasticis, nullam unquam Hæresim

resim veris miraculis fuisse illustratam. Illud siquidem ornamentum & decus, à Deo datum est uni, Sanctæ, Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ. Soli enim veritati, Deus, qui veritas est, testimonium perhibere potest. Cùm igitur se ab hac Ecclesia more antiquorum Hæreticorum, vellent seiungere; noverant quoq; nulla à Deo miracula posse sperari, per quæ homines ad sua dogmata recipienda, invitarentur. Fixum tamen erat novam sectam condere.

Hoc igitur invenerunt consilium, ut Religionem formarent, ad hominum vulgares opiniones, ad sensus, & commoditates maximè appositam, quæ sine testimonio prodigiorum per se blandiretur, & alliceret.

Iam hoc assequi nequaquam poterant, si traditionibus, Sanctis Patribus, Conciliorum, & Pontificum decretis, sua mansisset auctoritas. Per hæc enim angusta porta, & via arcta ad cœlum, quam Christus docuit, Matth: 7. v. 13. & 14. Ecclesiæ proponitur: illi autem latam & spatiosam viam, quæ ducit ad perditionem, quærebant. Itaque

que ante omnia auctoritatem omnem illam, quæ est quodammodo ipsa Ecclesia, *firmamentum veritatis*. 1. Timoth: 3. v. 15. contempserunt, & rejecerunt, atq; uni verbo Dei, prout illud unicuiq; ex proprio, & privato sensu intelligendum videretur, statuerunt adhærendum. Deus immortalis! quot errorum monstra, ex illa interpretandi licentia, hisce temporibus exorta sunt! quàm varia & inter se pugnantia!

Obstaculis hisce perfractis, quæ libidinem scripturas,quocunque luberet flectendi coërcebant, facilè illis fuit scopum, in quem collimabant, attingere. Mox igitur, opus meditatum aggressi sunt. Ne autem aperta pietatis corruptela animos offenderet, fucum quendam severitatis adhibendum putârunt: Atq; ut homines mali in pessimis suis consilijs nonnunquam ingeniosi sunt, illâ ipsâ severitate ad magis labefactandam Religionis disciplinam abusi sunt. Excogitârunt enim de prædestinatione, de reprobatione, de peccatis ex ignorantia insuperabili factis, &c. eas sententias; quæ

rigore suo nimio, arcum non tam tenderent, quàm debilitarent; frangerent. Quid enim hominem excitaret ad studium virtutis? quando ipsi persuasum est, quòd frustra laboret, & se cruciet, & quòd nullus conatus ipsi prodesse queat? Hac larvâ falsæ & perniciosæ severitatis instructi, fidentiùs ad propositum sibi finem progressi sunt; & quidquid in una, Sancta, Catholica & Apostolica Ecclesia, erat arduum, molestum, sensui, & commoditati repugnans, quidquid denique ad viam arctam, quam Christus prædicavit, pertinebat, in numero *superstitionum* posuerunt, & procul ab se ablegarunt: veluti jejunia, abstinentiam à carnibus, voluntarias castigationes corporis, consilia Evangelica voluntariæ paupertatis, castitatis, & obedientiæ, cerimonias in Baptismo, alijsque bonis operibus, ac Sacramentis, in cultu Sanctorum, veneratione imaginum, & reliquiarum adhiberi solitas, & plura his similia. In circulis, in pulpitis, in scholis, in convivijs, omnia

illa, quæ semper in una, Sancta, Catholica, & Apostolica Ecclesia, inde ab ipsis Apostolorum temporibus, fuêre Sacrosancta, irridebant, oppugnabant tanquam superstitiones. Superstitio! Superstitio! ubique ingeminabatur. Has voces Apostatæ ingeminent necesse est, si Sectarijs placere velint. Quin calumniandi libidine eò usque abrepti sunt nonnulli, ut in Sanctorum, eorundemque imaginum, ac reliquiarum cultu Catholicos Idololatras esse clamitarent: cùm tamen Sectarij sciant, vel scire possint, si velint, semper nefas fuisse in una, Sancta, Catholica, & Apostolica Ecclesia, latriæ cultum soli DEO debitum, ulli creaturæ quantumvis excellenti tribuere. Quid enim hac re est notius? quid certius? sed omissis illis nonnullis (si tamen plures, mendacijs jam assueti, etiam hoc avidè non arripiant) ad superstitionem redeamus. Si quis ex illis Sectarijs adfuisset, quando Christus fecit lutum ex sputo, & linivit oculos cæci,

eumque misit ad natatoria Siloë, Ioan: 9. ut sanaret ipsum; cogitâsset intra se; hæc est superstitio! quid opus istis cerimonijs? sine illis curari potuerunt oculi. Si vidisset mulierem, quæ erat in civitate peccatrix, Luc: 7. stantem retrò secùs pedes Christi, eos rigantem lacrymis, abstergentem suis capillis, deosculantem, ungentem, &c. judicâsset mulierem illam, multa superstitiosè agere, & superfluè. Satis enim illi erat credere juxta Sectarios. Quid opus tot cerimonijs? neque Christus debuisset dicere: *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* v. 47. Sed tantummodo oportebat dicere: *fides tua te salvam fecit.* v. 50. Si etiam adfuisset in domo Simonis leprosi, quando Maria effudit unguentum super caput Christi, Matth: 26. v. 7. damnâsset cerimoniam superstitiosam; eam præsertim, quæ ad sepeliendum Christum ordinata erat, antequam esset mortuus. Christus quidem testatus est, de Muliere illa: *opus enim bonum operata est in me:* v. 10.

At Sectarius reposuisset: sola fide opus est, non operibus bonis, & cum primo Apostata dixisset, *ut quid perditio ista unguenti facta est?* Marc. 14. v. 4. Sic ipse de ejusmodi cerimonijs, quas Christus, quas alij laudante Christo, exercuêre, locutus fuisset, vel loqui potuisset; si in illos æquè, atque in Ecclesiam Catholicam malevolus fuisset. At inquient, reprobamus solas cerimonias illas; quæ non narrantur in scripturis. Reprobanda igitur sunt illa, quæ Apostolus Paulus 1. Cor: 11. v. 34. scripsit se dispositurum: nam in scripturis narrata non sunt.

Si cerimonias in scripturis narratas admittunt; cur ante cœnam, non præmittunt ablutionem pedum, à Christo institutam? Ioan: 13. Christus enim ibi clarè dixit. v. 14. & *vos debetis alter alterius lavare pedes.* Non placet tamen hæc cerimonia ablutionis pedum Sectarijs illis. Nimis humile, & molestum est, cum Christo accingere se linteo, peluim sumere, lavare pedes &c. Non congruit

hæc

hæc cerimonia Religioni, quæ tota ad ſenſuum guſtum, & commoditatem eſt fabricata. Invenient ergo aliquid ex ſpiritu privato, quo cerimoniam hanc rejiciant, ut ſuperſtitioſam.

Audiamus tandem, quid ſit ſuperſtitio? ſuperſtitio eſt falſa Religio, ſeu cultus vitioſus veri, vel falſi Numinis. Hanc deteſtatur & execratur Catholica Eccleſia. Nequit autem eſſe vitioſum; quod una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica Eccleſia approbat. Si enim vitioſũ id eſſet, non eſſet Eccleſia *columna & firmamentũ veritatis* 1. Timoth: 3. v. 15. Nam falſum, & vitioſum cultum DEI proponeret fidelibus: atque adeo eſſet Magiſtra falſitatis, quod neque factum eſt, neque fieri poteſt, ſi ſcriptura ſit vera.

Inveniuntur inter Catholicos, qui vel ex ignorantia, & ſimplicitate, vel etiam ſcientes, & volentes ſuperſtitioſè agunt: neque hi reprehenſione ſua carent. At, prô dolor! quot ſuperſtitiones, & quàm abominandæ exercentur in Aſia, Africa, & America, inter Gentiles! ubi manent

Sectarij? si eos tangat verus zelus cultûs Divini, & ardor superstitiones evellendi, cur eò non properant? cur ibi contenta voce non ingeminant, superstitio! superstitio! at frustra eos compello; nulla unquam Hæresis Gentilium conversioni studuit; hoc proprium est uni, Sanctæ, Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ. Hæretici lucro suo student, non Religionis propagationi.

Plus tamen aliquid in Apostatis, castigandum se offert, quàm in aliquibus, qui inter Sectarios enutriti sunt. Plerique enim Apostatæ fœdissimam illam fugam meditantur, & capessunt, non quia offenduntur superstitionibus, sicut iactant inter Sectarios; sed quia non illa, quam volebant, erat eis licentia ceremonias exhibendi mulieribus, *Vinum & mulieres Apostatare faciunt.* Eccli. 19.

Quarta Calumnia.

SANGVINOLENTA TYRANNIS PAPÆ.

Ita alicubi clamitabat Apostata cum

suis Sectarijs. Mirum, quòd non pudeat illos tantæ maledicentiæ; paucis rem expediamus. Inter tam multos Imperatores Romanos fuerunt Maximiani Diocletiani, Nerones, alijquè sanguinolenti Tyranni; Quis tamen, qui frontem non exuit, inde concludat Imperatorem, sive imperatorium munus, esse sanguinolentam Tyrannidem? sic concludunt Sectarij. Fingamus enim inter tot Successores Petri, Vicarios Christi, nonnullos fuisse sanguinolentos Tyrannos; mox illi impudentissimè sine ullo discrimine Papam, sive Pontificale munus, hoc est, Pontifices omnes, tanquam sanguinolentos Tyrannos traducunt. Hæccine est Dialectica, an pura malevolentia?

Profectò si sic ratiocinari luberet, plurima mihi exempla mox sese offerrent, ex quibus Sectarios omnes sanguinolentos Tyrannos concluderem eodem jure. O! Anglia! sed opus non est ultra progredi. Exempla orbi universo sunt nota. Nolo tamen inde concludi, id, quod

Sectarij ineptè, & malitiosè de Papa concludunt. Nam inter supremos rerum publicarum Administratores, inter Principes, qui à Sectarijs seducuntur potiùs, quàm eunt in errores, qui arma magis, quàm quæstiones de Religione norunt, & tractant, agnoscimus plures clementiâ, alijsque dotibus Regijs illustres.

Non temerè dicebam proximè *fingamus*. Nam adeo falsum est id, quod perperam concludunt Sectarij de Pontificibus omnibus, ut ne unum quidem nominare possint, inter omnes, qui sanguinolentus fuerit Tyrannus. Expecto enim, dum nominent unum: quod si fecerint, mox ego quæram ab illis; quam Provinciam ferro, flammaque vastarit? quas Regiones expoliarit? & ad egestatem redegerit? quos exercitus? quas munitas civitates? quæ munita castra extra exiguam suam temporalem ditionem, (cui Avenionem annumero,) habuerit? in Anglia, Gallia, Germania, Hispania, reliqua Italia, Polonia, America, Africa, Asia, Iaponia,

ponia, China, alijsque Provincijs? nam Catholica fides latè per orbem diffusa est, & ubique omnes fideles suavissimo Vicarij Christi jugo libentissimè subjecti sunt. Quæram denique quæ bella armis suis gesserit, in omnibus istis regionibus? in istis, inquam, Regionibus. Nam bella, quæ nonnulli Pontifices gesserunt, pro Provincijs, quarum sunt Domini, huc non spectant; si enim ideo essent sanguinolenti Tyranni, jam omnes Reges & Principes, qui bella gerunt, essent sanguinolenti Tyranni; quod nefas est, vel cogitare. Quæram igitur de Regionibus, quæ orbis terrarum terminis continentur, in quibus Catholica Religio, per Apostolicos viros, non sine labore, sudore, & sanguine disseminata, perpetuò foveatur, & propagatur, quæ bella ibi gesserit? quos populos in acie fuderit? quot subactos, & captos ubique in crucem egerit? Hæc enim & similia ad sanguinolentam Tyrannidem pertinent, & quidem tunc tantùm, quando sine causa justa

sta fiunt. Sed an justè vel injustè, relinquamus tantisper in medio: nominent saltem unum Papam, qui similia fecerit; ut disputari saltem possit, an justè fecerit, & an possit dici sanguinolentus Tyrannus. Frustra illos urgeo. Si enim nominaverint vel unum, statim omnes Historiæ, omnes Reges, & Principes, mendacij illos convincent. Quis enim Rex aut Princeps unquàm Pontificios exercitus, in suo imperio passus est: aut pati voluisset? nimirum, nō armis, sed Religione, & voluntaria, ad suavissimum Christi, ejusque Vicarij jugum accessione, & subjectione, regitur, conservatur, & propagatur, una, Sancta, Catholica, & Apostolica Ecclesia.

Quamobrem igitur, inquies, Sectarij tantoperè abhorrent ab illo jugo? in promptu causa est. Quia, cùm, quidquid in Evangelio sensibus ingratum est; quidquid in concilijs, & canonibus peccandi impetum cōercet, abjecerint: cumque sectam suam ad omnem licentiam (dummodo oculi hominum non offendantur) & ad carnis, rerumque humanarum gustum, to-

tam

tam adaptârint; mirum non eſt, quod omne jugum, quantumvis ſalutare, & ſuave fugiant, & procul à ſe removeant. Sic videmus quoſdam filios fugere, & odiſſe jugum ſuorum Parentum, à quibus paternè, & benignè reprehenduntur, coërcentur, caſtigantur; quia licentiam & libertatem peccandi, præ dulciſſimo amplexu ſuorum parentum eligunt.

Quid ſuavius Chriſti jugo? & tamen illud ita fugiebant, & oderant Pharifæi & Iudæi, ut Chriſtum tanquam ſanguinolentum Tyrannum caperent, vincirent, & occiderent, mendacijs, & calumnijs maximè ipſum onerantes.

Inſignis figura Chriſti fuit Ieremias Propheta, & ideo ſimilibus maledictis impetitus fuit; dicebantquè de illo Ierem: 18. *percutiamus eum linguâ.* Si cauſam tantæ malitiæ quæris? leges eam alicubi his verbis: *contrarius eſt operibus noſtris.*

Inveniuntur in Eccleſia Catholica peccatores, ſicut ubique: ſed mox ut deli-

ǝta

cta admiserunt, observantur animo optimæ adhortationes, exempla tot Sanctorum, canones, decreta, prohibitiones, præcepta, Sacramenta, quæ vellicare solent mentem malè sibi consciam, & magnopere displicere nocentibus.

Denique sanctitas, & totus agendi modus, qui conspicitur in Ecclesia Catholica, est contrarius operibus eorum, perpetuò illos pungit, stimulat, ad pænitentiam invitat conscientiam, & animum arguit: felices, qui tot incitamentis cedunt, & se ad veros pænitentiæ fructus convertunt. Sed inveniuntur aliqui, qui exemplo Iudæ, quem ne Christus quidem tot salutaribus remedijs permovit, ne suave jugum desereret; veniunt in profundum, & contemnunt: eóque paulatim progrediuntur, ut & ipsi jugum suave, salutare & necessarium parent excutere, & excutiant fugiendo ad Sectarios. Ibi mox vel ex propria malitia, quia servitus peccati placet, præ illo jugo, vel ut Sectarijs blandiantur,

tur, à quibus sperant subsidia vitæ, jugum illud, quod excusserunt, clamitant esse sanguinolentam Tyrannidem. An est *hæc mutatio dexteræ excelsi? Ps.* 76. An Diaboli?

Quinta Calumnia, HYPOCRISIS.

DE hac etiam accusant Apostatæ Ecclesiam Catholicam; sed o! ridiculam calumniam! Apostatæ mendacijs, & fraudibus pleni, de Hypocrisi; homines sine oratione, & conjunctione cum DEO, de pietate; ebriosi, de sobrietate; luxuriosi, de castitate; sermonem habere audent. Sic illorum Imperator Iudas, avaritiâ plenus cùm esset, de liberalitate in pauperes ausus est loqui, *ut quid perditio ista unguenti facta est? poterat enim unguentum istud venumdari plusquàm trecentis denariis & dari pauperibus.* Marc: 14. v. 4. & 5. neque aliam responsionem meretur hæc calumnia.

Ne tamen nimis brevis sit responsio, levi-

levitatem levitati adjungamus. Quàm stultè Sectarij expetunt nomen *Catholicum*? quod nunquam obtinebunt; ne Ariani quidem obtinere illud potuerunt. Quid autem sunt omnes Sectæ, quæ hoc & præterito sæculo exortæ sunt, etiam in vnum collectæ? si comparentur cum multitudine Arianorum, qui olim fuerunt ita diffusi, ut Hieronymo teste, orbis pene se Arianum miraretur? Quid verò erunt soli Lutherani? soli Calvinistæ? soli Mennistæ? soli Labadistæ? soli Sacramentarij? totque alij, ut numerare pigeat? Et tamen hi omnes nomen sibi *Catholici* frustra conantur arrogare.

Illud verò quis non rideat, quod omnes se *reformatores* vocent, cùm non sint concordes, nisi ut unam veritatem, hoc est, Catholicam Ecclesiam oppugnent? & scripturam ad sensum, quem volunt, & ad commoda sua interpretentur, rejicientes omne id, quod ad consilia Evangelica, & ad angustam portam, arctamque viam pertinet? Quis non exclamet?

clamet? O! *Reformatores*! Illud quoq; ridiculum, cùm ipsi in tot Sectas sint divisi, ut sit apud illos confusio, & Babylon omnium errorum: ipsi tamen Ecclesiam Catholicam omnes vocent Babylonem.

Vera Ecclesia est VNA: sectæ extra illam sunt multiplices.

Ecclesia est SANCTA, semper Sanctissimis viris ornata, qui juxta consilia Evangelica Christum sequuntur; &, ut semel dicam, hanc Sanctitatem Apostatæ fugiunt, sicut noctuæ solem. Sectarij quidquid in Evangelio sensibus non arridet, à se abjecerunt.

Ecclesia est CATHOLICA; & successione non interrupta temporum, & quaquaversùm propagatione. Apud Sectarios utrumq; deficit. Ecclesia est APOSTOLICA; ab Apostolis ad hos dies perpetua traditione perducta? Apud Sectarios nihil est APOSTOLICVM; sed vel Arianum, vel Nestorianum, vel Lutheranum, vel Calvinisticum, &c. ante quos Hæresi-

archas natos, in nulla Provincia, in nulla civitate, in nullo pago, in nulla domo, in nullo angulo videri, aut inveniri poterat eorum Religio. An non riſu dignum eſt, quod tamen ambiunt, titulos tantoperè à ſe alienos?

Sed ſatis de levitatibus. Simus memores brevitatis.

Concluſio.

STatueram de pluribus convicijs, & calumnijs aliquid dicere; ſed fortaſſe ne illis quidem omnibus jam prolatis opus erat: poteratquè illud uſu venire, *ab vno diſce omnes.*

Quòd Apoſtatæ nonnulli fiant, & fugiant, *ex una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica Eccleſia*, nemo mirabitur, qui mores illorum ſenſim depravatos conſideraverit.

Si quis Hiſtorias Apoſtatarum ſcribere vellet, eorumq; res geſtas enarrare; quot mendacia, quot fraudes, quot ebrietates,

quot sordes, quot furta, quot rapinæ, quot obscæni congressus, quot sacrilegia, quot alia crimina essent commemoranda? quæ partim ante Apostasiam, partim post illam commiserunt. Quis miretur ejusmodi perditos homines aufugere eò, ubi est licentia omnium sectarum: hoc tamen fortassis mirabitur nonnemo, quod Sectarij perditos ejusmodi homines, brachijs expassis excipiant.

Ad minuendam tamen illam admirationem, aio, existimare me, locum hic habere id, quod de proditoribus dici solet: amari proditionem, non proditorem. Scimus ipsos Sectarios, atq; adeo ipsos Prædicantes de Apostatis talibus locutos fuisse cum contemptu. Vtuntur tamen operâ illorum, ut mulierculas & plebem magis concitent contra Catholicos.

Illud magis admiratione dignum videtur, quod ab ejusmodi fabulis, & mendacijs Sectarij erroribus suis apud multitudinem quærant & nonnunquam inveniant auctoritatem. Habuimus in manibus no-

ſtris libellum *in quarto* impreſſum vernaculâ linguâ, munitum approbatione publici Magiſtratûs. Hæretici. Fronti erat præfixa imago horrendorum ſpectaculorum, & ſuppliciorum. Tum deſcribebantur Hiſtoriæ ſelectæ, maximè terribiles, & crudeles ex tota antiquitate, & omnes etiam ante Chriſtum natum adſcribebantur Ieſuitis, alijſq; Papiſtis; cùm neq; Papiſtæ, neque Ieſuitæ eſſent in rerum natura.

Obiter hic noto, quod Sectarij veros fideles, qui ſubſūt Vicarijs IESV CHRISTI, & Succeſſoribus Petri, ſoleant vulgò *Papiſtas* nominare. Nam nomen CATHOLICI, ipſis inuident. Lucem tamen ſoli citiùs auferent, quàm nomen CATHOLICI auferant CATHOLICIS: & citiùs nox ac tenebræ lucebunt, quàm ulla ſecta ſegregata ab illo ovili, cujus Petrus ejuſq; Succeſſores à Chriſto Paſtores ſunt conſtituti, nomen CATHOLICI acquirat. An enim Lutherani unquam erunt CATHOLICI? an Calviniſtæ? an Anabaptiſtæ? an Tremuli? an innumeri alij? profectò non omnes illi erunt CATHOLICI; neq; una

ſecta magis præ alia. Nulla proinde unquam fiet CATHOLICA. Sed ad libellum revertamur.

Vtebantur illo pueri, & puellæ, cùm diſcebant literas connectere & legere. Talibus mendacijs ſectariorum infantes lactantur; pueri & puellæ nutriuntur, adoleſcentes roborantur, omnes deniq; ſaturantur. Sunt illæ calumniæ præcipua ſubſidia, & quotidianæ artes (fraudes dicere debui) quibus multitudinem continent: & re ipſa plurimos incautos ſic decipiunt. At verò nihil eſt, quod magis horrorem à Sectarijs poſſit incutere perſpicacioribus, quàm dum fraudes illæ, & calumniæ illis patent. Quid enim Religionis, quid veritatis ineſſe poteſt illi ſectæ, quæ ſine ejuſmodi mendacijs, nec conſervari, nec ſubſiſtere poteſt?

Sanctitas quoq, & veritas Catholicæ Religionis luculenter demonſtratur; fideleſq; magis, magiſq; in eadem veritate confirmantur, per turpem illam Apoſtatarum fugam? Quis enim conſilia tam deſperata fugiendi animo verſat, qui non ſit à pijs & ſpirituali-

bus rebus alienus? aut desidiosus? aut iracundus? aut superbus? aut mendax, & fraudulentus? aut vino, & crapulæ deditus? aut avarus & fur? aut impudicus? aut deniq; fœdissimis vitijs conspurcatus? nimirum talia peccata, non benè conveniunt, nec in una sede morantur cum sincerâ virtute *Evangelicâ* quæ est in *una, Sancta, Catholica & Apostolica Ecclesia.* Apud Sectarios verò, illi homines perditi inveniunt sedem quietam. Hinc illæ Catholicorum voces; deploramus, sed non miramur lapsum, & Apostasiam istius miseri; quia qui olim in illo fuerat ardor cum Deo agendi, refrixerat; ad pocula, & consuetudinem cum mulieribus se converterat: & plura his similia. Atq; ita ex miserabili illorum lapsu magis confirmantur fideles in *una, Sancta, Catholica, & Apostolica Ecclesia.*

Subnecto verba Magni Augustini, qui Hæreticos veluti Manichæos, Donatistas, Pelagianos, &c. acriter oppugnavit. Quanquam si Lutherani, Calvinistæ, & cæteri posteriores Sectarij, non essent ponendi in nume-


numero Hæreticorum; neq; priores, neq; ulli in Hæreticorum numero ponendi essent. Nam omnes æquè se expurgabũt ab Hæresi, intelligendo, & interpretando scripturam ex privato spiritu: testabunturq; pariter omnes se spiritum Dei habere, aliosq; omnes errare. Sed finiamus, & verba Augustini demus.

Augustinus Epist. 50. ad Bonifac. *Ecclesia Catholica* **sola corp9 est Christi, cujus ille caput est Salvator** *corporis sui. Extra hoc corpus neminem vivificat Spiritus Sanctus.* **Editione Paris: anno 1639.**

Idem. Epist: 152. *Quisquis ergo ab hac Catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet; hoc solo scelere, quod à Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam; sed ira Dei manet super eum.* **Editione Parisien: an: 1639.**

Idem

Idē cōtra Epist:fundā. Manichæi c.4. *Multa sunt alia, quæ in ej9 Catholicæ Eccl: gremio, me justissimè teneant. Tenet consensio populorum atq̃ gentium, tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post Resurrectionem Dominus commendavit, usq̃ ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum; tenet postremò ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit: ut cùm omnes hæretici se Catholicos dici velint; quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus Hæreticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere.* Editione Parisiensi anno 1635.



FINIS.

cta admiserunt, obvervantur animo optimæ adhortationes, exempla tot Sanctorum, canones, decreta, prohibitiones, præcepta, Sacramenta, quæ vellicare solent mentem malè sibi consciam, & magnopere displicere nocentibus.

Denique sanctitas, & totus agendi modus, qui conspicitur in Ecclesia Catholica, est contrarius operibus eorum, perpetuò illos pungit, stimulat, ad pænitentiam invitat conscientiam, & animum arguit: felices, qui tot incitamentis cedunt, & se ad veros pænitentiæ fructus convertunt. Sed inveniuntur aliqui, qui exemplo Iudæ, quem ne Christus quidem tot salutaribus remedijs permovit, ne suave jugum desereret; veniunt in profundum, & contemnunt; eóque paulatim progrediuntur, ut & ipsi jugum suave, salutare & necessarium parent excutere, & excutiant fugiendo ad Sectarios. Ibi mox vel ex propria malitia, quia servitus peccati placet, præ illo jugo, vel ut Sectarijs blandiantur,

tur, à quibus sperant subsidia vitæ, jugum illud, quod excusserunt, clamitant esse sanguinolentam Tyrannidem. An est *hæc mutatio dexteræ excelsi?* Ps. 76. An Diaboli?

Quinta Calumnia, HYPOCRISIS.

DE hac etiam accusant Apostatæ Ecclesiam Catholicam; sed o! ridiculam calumniam! Apostatæ mendacijs, & fraudibus pleni, de Hypocrisi; homines sine oratione, & conjunctione cum DEO, de pietate; ebriosi, de sobrietate; luxuriosi, de castitate; sermonem habere audent. Sic illorum Imperator Iudas, avaritiâ plenus cùm esset, de liberalitate in pauperes ausus est loqui, *ut quid perditio ista unguenti facta est? poterat enim unguentum istud venumdari plusquàm trecentis denariis & dari pauperibus.* Marc: 14. v. 4. & 5. neque aliam responsionem meretur hæc calumnia.

Ne tamen nimis brevis sit responsio, levi-

levitatem levitati adjungamus. Quàm stultè Sectarij expetunt nomen *Catholicum*? quod nunquam obtinebunt; ne Ariani quidem obtinere illud potuerunt. Quid autem sunt omnes Sectæ, quæ hoc & præterito sæculo exortæ sunt, etiam in vnum collectæ? si comparentur cum multitudine Arianorum, qui olim fuerunt ita diffusi, ut Hieronymo teste, orbis pene se Arianum miraretur? Quid verò erunt soli Lutherani? soli Calvinistæ? soli Mennistæ? soli Labadistæ? soli Sacramentarij? totque alij, ut numerare pigeat? Et tamen hi omnes nomen sibi *Catholici* frustra conantur arrogare.

Illud verò quis non rideat, quod omnes se *reformatores* vocent, cùm non sint concordes, nisi ut unam veritatem, hoc est, Catholicam Ecclesiam oppugnent? & scripturam ad sensum, quem volunt, & ad commoda sua interpretentur, rejicientes omne id, quod ad consilia Evangelica, & ad angustam portam, arctamque viam pertinet? Quis non exclamet?

clamet? O! *Reformatores*! Illud quoq; ridiculum, cùm ipsi in tot Sectas sint divisi, ut sit apud illos confusio, & Babylon omnium errorum: ipsi tamen Ecclesiam Catholicam omnes vocent Babylonem.

Vera Ecclesia est VNA: sectæ extra illam sunt multiplices.

Ecclesia est SANCTA, semper Sanctissimis viris ornata, qui juxta consilia Evangelica Christum sequuntur; &, ut semel dicam, hanc Sanctitatem Apostatæ fugiunt, sicut noctuæ solem. Sectarij quidquid in Evangelio sensibus non arridet, à se abjecerunt.

Ecclesia est CATHOLICA; & successione non interrupta temporum, & quaquaversùm propagatione. Apud Sectarios utrumq; deficit. Ecclesia est APOSTOLICA; ab Apostolis ad hos dies perpetua traditione perducta. Apud Sectarios nihil est APOSTOLICVM; sed vel Arianum, vel Nestorianum, vel Lutheranum, vel Calvinisticum, &c. ante quos Hæresi-

archas natos, in nulla Provincia, in nulla civitate, in nullo pago, in nulla domo, in nullo angulo videri, aut inveniri poterat eorum Religio. An non risu dignum est, quod tamen ambiunt, titulos tantoperè à se alienos?

Sed satis de levitatibus. Simus memores brevitatis.

Conclusio.

STatueram de pluribus convicijs, & calumnijs aliquid dicere; sed fortasse ne illis quidem omnibus jam prolatis opus erat: poteratque illud usu venire, *ab vno disce omnes.*

Quod Apostatæ nonnulli fiant, & fugiant, *ex una, Sancta, Catholica, & Apostolica Ecclesia*, nemo mirabitur, qui mores illorum sensim depravatos consideraverit.

Si quis Historias Apostatarum scribere vellet, eorumq; res gestas enarrare; quot mendacia, quot fraudes, quot ebrietates,

quot ſordes, quot furta, quot rapinæ, quot obſcæni congreſſus, quot ſacrilegia, quot alia crimina eſſent commemoranda? quæ partim ante Apoſtaſiam, partim poſt illam commiſerunt. Quis miretur ejuſmodi perditos homines aufugere eò, ubi eſt licentia omnium ſectarum: hoc tamen fortaſſis mirabitur nonnemo, quod Sectarij perditos ejuſmodi homines, brachijs expaſſis excipiant.

Ad minuendam tamen illam admirationem, aio, exiſtimare me, locum hic habere id, quod de proditoribus dici ſolet: amari proditionem, non proditorem. Scimus ipſos Sectarios, atq; adeo ipſos Prædicantes de Apoſtatis talibus locutos fuiſſe cum contemptu. Vtuntur tamen operâ illorum, ut mulierculas & plebem magis concitent contra Catholicos.

Illud magis admiratione dignum videtur, quod ab ejuſmodi fabulis, & mendacijs Sectarij erroribus ſuis apud multitudinem quærant & nonnunquam inveniant auctoritatem. Habuimus in manibus no-

ſtris libellum *in quarto* impreſſum vernaculâ linguâ, munitum approbatione publici Magiſtratûs Hæretici. Fronti erat præfixa imago horrendorum ſpectaculorum, & ſuppliciorum. Tum deſcribebantur Hiſtoriæ ſelectæ, maximè terribiles, & crudeles ex tota antiquitate, & omnes etiam ante Chriſtum natum adſcribebantur Ieſuitis, alijsq; Papiſtis; cùm neq; Papiſtæ, neque Ieſuitæ eſſent in rerum natura.

Obiter hic noto, quod Sectarij veros fideles, qui ſubſunt Vicarijs IESV CHRISTI, & Succeſſoribus Petri, ſoleant vulgò *Papiſtas* nominare. Nam nomen CATHOLICI, ipſis invident. Lucem tamen ſoli citiùs auferent, quàm nomen CATHOLICI auferant CATHOLICIS: & citiùs nox ac tenebræ lucebunt, quàm ulla ſecta ſegregata ab illo ovili, cujus Petrus ejuſq; Succeſſores à Chriſto Paſtores ſunt conſtituti, nomen CATHOLICI acquirat. An enim Lutherani unquam erunt CATHOLICI? an Calviniſtæ? an Anabaptiſtæ? an Tremuli? an innumeri alij? profectò non omnes illi erunt CATHOLICI; neq; una

secta magis præ alia. Nulla proinde unquam fiet CATHOLICA. Sed ad libellum revertamur.

Vtebantur illo pueri, & puellæ, cùm discebant literas connectere & legere. Talibus mendacijs sectariorum infantes lactantur; pueri & puellæ nutriuntur, adolescentes roborantur, omnes deniq; saturantur. Sunt illæ calumniæ præcipua subsidia, & quotidianæ artes (fraudes dicere debui) quibus multitudinem continent: & re ipsa plurimos incautos sic decipiunt. At verò nihil est, quod magis horrorem à Sectarijs possit incutere perspicacioribus, quàm dum fraudes illæ, & calumniæ illis patent. Quid enim Religionis, quid veritatis inesse potest illi sectæ, quæ sine ejusmodi mendacijs, nec conservari, nec subsistere potest?

Sanctitas quoq, & veritas Catholicæ Religionis luculenter demonstratur; fidelesq; magis, magisq; in eadem veritate confirmantur, per turpem illam Apostatarum fugam. Quis enim consilia tam desperata fugiendi animo versat, qui non sit à pijs & spirituali-

bus rebus alienus? aut desidiosus? aut iracundus? aut superbus? aut mendax, & fraudulentus? aut vino, & crapulæ deditus? aut avarus & fur? aut impudicus? aut deniq; fœdissimis vitijs conspurcatus? nimirum talia peccata, non benè conveniunt, nec in una sede morantur cum sincerâ virtute *Evangelicâ* quæ est in *una, Sancta, Catholica & Apostolica Ecclesia.* Apud Sectarios verò, illi homines perditi inveniunt sedem quietam. Hinc illæ Catholicorum voces; deploramus, sed non miramur lapsum, & Apostasiam istius miseri; quia qui olim in illo fuerat ardor cum Deo agendi, refrixerat; ad pocula, & consuetudinem cum mulieribus se converterat: & plura his similia. Atq; ità ex miserabili illorum lapsu magis confirmantur fideles in *una, Sancta, Catholica, & Apostolica Ecclesia.*

Subnecto verba Magni Augustini, qui Hæreticos veluti Manichæos, Donatistas, Pelagianos, &c. acriter oppugnavit. Quanquam si Lutherani, Calvinistæ, & cæteri posteriores Sectarij, non essent ponendi in


numero Hæreticorum; neq; priores, neq; ulli in Hæreticorum numero ponendi essent. Nam omnes æquè se expurgabūt ab Hæresi, intelligendo, & interpretando scripturam ex privato spiritu: testabunturq; pariter omnes se spiritum Dei habere, aliosq; omnes errare. Sed finiamus, & verba Augustini demus.

Augustinus Epist 50. ad Bonifac. *Ecclesia Catholica* sola corp9 est Christi, cujus ille caput est Salvator *corporis sui. Extra hoc corpus neminem vivificat Spiritus Sanctus.* Editione Paris: anno 1639.

Idem. Epist: 152. *Quisquis ergo ab hac Catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet; hoc solo scelere, quod à Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam; sed ira Dei manet super eum.* Editione Parisien: an: 1639.

Idem

Idē cōtra Epist: fundā. Manichæi c.4. *Multa sunt alia, quæ in ejus Catholicæ Eccl: gremio, me justissimè teneant. Tenet consensio populorum atq; gentium, tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post Resurrectionem Dominus commendavit, usq; ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum; tenet postremò ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit: ut cùm omnes hæretici se Catholicos dici velint; quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus Hæreticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere.* Editione Parisiensi anno 1635.



FINIS.